



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XXVII. De S. Theodoro Siceorum archimandrita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

gmentis æreis sensibus carentibus adepturi, quàm ex conscientia honestè rectèque factorum : easque auro curant in bracteari. quàm autem sit pulcrum exigua hæc spernentem & minima, ad ascensus veræ gloriæ tendere longos & arduos, vt memorat Ascreus, Censorius Cato monstrauit, qui interrogatus quam ob rem inter multos nobiles statuam non haberet; Malo, inquit, ambigere bonos quam ob rem id non meruerim, quàm, quod est grauius, cur impetrauerim, mussitare. Certè Alexander Macedo vt æternitate effigiem suam consecraret, noluit se pingi aut sculpi nisi à maximis artificibus Apelle & Lysippo iuxta illud Horatij:

Edicto cavit ne quis se præter Apellem

Pingeret: aut alius Lysippo duceret ara

Fortis Alexandri vultum simulantia:

li. 2. epist.
ad Octau.

ita fere Molanus; qui etiam monet ex huiusmodi picturis quorundam nimium affectibus suis indulgentium primam vitæ humanæ deceptionem ortam fuisse, vt pulerè & fuscè docet Sapiens; quem tu vide; vbi ait : Acerbo enim luctu dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia, &c.

lib. de pict.
cap. 52.

Sap. 14.

”

”

”

”

”

CAP. XXVII.

De sancto Theodoro Siceorum archimandrita.

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam, inquit regius Propheta David. Sic & in hoc Oriente sanctus succedit sancto velut vnda superuenit vndam. In Galatarum regione oppidum est quod

Surius
22. Aprilis

T 3

Siceon

Siceon appellatur, subiectum Anastasiopoli primi Ancyensium principatus. Hic imperante Iustiano circa annum Domini 600. natus est, de quo nobis sermo, Theodorus Siceota, patre Cosma equestribus certaminibus claro, matre verò Maria; quæ cum Theodorum concepisset, in quiete stellam vidit ingentem & claram in vterum suum è cælo descendentem, quæ quantus hic puer futurus esset non obscure suâ claritate significabat, voluitque id ipsum hoc prævio signo matri indicare, prout de multis alijs Sanctis legimus. Neque fefellit euentus. Stella siquidem per totam suam vitam tum in virtutibus, tum in gloria miraculorum fuit clarissima, quæ infinita propemodum in eius vita recensentur, suntque lectu planè dignissima. ex ijs vnũ nostro instituto deseruiens hinc commemorabo. Cum in Ancyranorum metropoli magna lues in homines armenta que desæuiret, eius metropolis curatores ad Dei seruum Theodorum accedentes, eum secum abduxerunt: cumque filias haberent monachas in sanctissimo Dei Genitricis monasterio quod Becia vocatur, rogarunt eum vt ibi moraretur & pro illis Deum obsecraret. Constituto autem supplicationis die, omnes ciues & agricolæ conuenerunt ad supplicandum, & ipse cum illis Deum obsecrans, ab ea peste eosdem liberauit. Aquam præterea benedixit qua conspergebantur armenta, & confestim sana atque à peste libera erant. vnde quotiescumque lues inuadebat oues aut boues aut alia genera quadrupedum vel volucrum vel etiam homines, similiter assumebant ipsum aut eius benedictionem & aquam cui benedixisset: vel etiam capistra aut tintinnabula ad eum afferebant vt illis benediceret, & optatam curationem consequerentur. Plurima certè miracula virtute aquæ benedictæ Vir sanctus patrauit, quâ in plerisque morbis etiam contagiosis ac pestiferis

vti consuevit. nec prorsus inconuenienter. aqua enim benedicta efficax contra pestem antidotum est, idque virtute sacrarum precum quas in ea benedicenda ad hunc finem Ecclesia Deo fundit dum inter cetera orat: *Vt ubicumq; illa aspersa fuerit, non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, sed discedant omnes insidie latentis inimici: & si quid est quod aut incolumitati habitantium inuidet aut quieti, aspersione huius aqua effugiat, &c.*

Quare consultiſſimum est tempore grassantis pestilentiae sapius tum seipsum tum etiam domos suas aqua benedicta aspergere vt sic salutarem hunc effectum consequamur ad quem ex institutione Ecclesiae ordinata est, & iam a temporibus paene Apostolorum in pio fidelium vsu fuit. in actis enim Alexandri Papae qui sextus fuit a sancto Petro Pontifex Romanus, & sedit anno Christi centesimo vigesimoprimo, ita legimus: Hic constituit aquam aspersions cum sale benedici in habitaculis hominum. non quod tum primum aqua coeperit benedici, sed quod tum primo cum sale aliisque caerimonijs & exorcismis benedici coeperit. apud sanctum Clementem siquidem qui tertius a Sancto Petro sedit eidemque coadiutor fuit, Matthaei nomine Apostolica reperitur institutio. & Paulus nonne ad Timotheum scribens tradit omnem creaturam per verbum Dei & orationem sanctificari? Sic non aquae tantum, inquit Baronius, sed & olei aliarumque rerum hominum vsui inferuentium benedictionem ex Apostolica traditione iure sibi vendicat Ecclesia exemplo Christi qui panem turbae daturus antea illi benedixit ac postea fregit & distribuit discipulis suis. Aquam igitur benedi-

C15. c57.
l. 8. ca. 30.
1. Tim. 4.
anno 1320.

LUC. 9.

de Spirit. S.
cap. 27.

benedicendi ad quemcumque usum antiquam esse traditionem ex Apostolicis fontibus manantem, non modò iam dicta demonstrant, sed ut in re comperta ingenuè professus est S. Basilius, & longè antè S. Cyprian. Cyril. Hieros. alijque, quæ omnia confirmant non penitus improbandas esse illas imagines in quibus obitus beatissimæ Virginis Mariæ de pingitur atq; simul aqua lustralis in vasculo solet appingi; potuit enim & verisimiliter in usu fuit tunc temporis aqua benedicta cum eam ex Apostolicis traditionibus manasse iam audiuerimus. Solennius tamen post Alexandri Papæ institutionem fidelibus vsui esse conuenit in eorum domibus atque in ipso ingressu Ecclesiæ posita, qua ad leuiorum peccatorum expurgationem, aduenientes Ecclesiam aspergerentur.

Catech. 3

Quòd si quis sectarius ut solet nobis obijciat, etiam Gentiles habuisse suam aquam lustralem, adeoque nos velit gentilizare; audiat ille Cyrillum dicentem: Ut illa quæ in aris offeruntur cum naturâ sint pura, inuocatione dæmonum impura efficiuntur: sic contrâ aqua simplex per sancti Spiritus, Christi & Patris inuocationem acceptâ virtute sanctitatem consequitur, quæ tantùm habet ut habeat speciem quandam magiæ & incantationis (nam Nouatores non solum gentilium imitatores nos esse dicunt sed & magos) ut potius ad illas dissoluendas aliasque diaboli artes auerendas ea solita sit adhiberi, easque frequentissimè effugauerit. sexcenta enim de his adducenda essent exempla petita ex diuersis Sanctorum Actis fideliter scriptis quibus magicas incantationes aliasque prauorum dæmonum molitiones, aquæ benedictæ aspersione constat esse fugatas. certè ex sententia Domini eandem calumniam passi quòd in principe dæmoniorum eijceret dæmonia, dicentis,

Si

Si Satanas in se ipsum diuisus est quomodo stabit regnum eius?
 Si aqua benedicta vires dæmonis infringuntur, diuinam planè in ea operari virtutem quis poterit dubitare? Sed de aqua benedicta hæctenus satis. Plura qui volet legat Hydragiologiam Marfilij Columna Archiepiscopi Salernitani quam nuper scripsit. Illud denique de Theodoro iam dicto ex occasione præcedentis capituli hic adijcio. Pietatis colentissimus Christophorus, inquit auctor, mansionis præfectus & fratres omnes cupientes imaginem Theodori apud se manere, pictorem accersuerunt qui perspecta eius facie effigiem illius exprimeret. Cùm igitur eorum desiderio pictor satisfacisset, antequam virum sanctum dimitterent, duxerunt eum ubi imago illa erat vt ei benediceret: qui cùm grauitate subridens: Vos, inquit, fures estis. Cur enim hoc fecistis nisi vt aliquid aliquando furemini? & cum ei benè dixisset, discessit. Ita Georgius presbyter eius discipulus, eiusdemque mansionis præfectus, qui vitam viri sancti conscripsit, atque miraculosè in hanc lucem per eius merita editus fuit. Cùm enim, inquit, parentes mei non possent liberos suscipere, ad sanctum virum accesserunt, cumque zonas quibus ille benedixerat, accepissent, ego conceptus sum & in lucem editus & infans in Monasterio ipsi oblatus. Aliumque postea eius meritis filium susceperunt, cui illius nomen imposuerunt. Discessit è vita tertio Imperatoris Heraclij anno, qui fuit Redemptoris sexcentesimo duodecimo.